

simili ratione declinationis latitudines demonstrabimus per descriptionē præcedenti similē, in qua BH circūferentia ponatur part. XLV . ut utraq; rectarū HK, KB , taliū itidem capiatur part. 7071 , qualiū est $HB, 10000$, subtensa. Qualiū igitur fuerit BH ex centro 3953 , ac ipsa $AB, 9964$, hoc loco prout ex prædemonstratis longitudinū differentijs colligi potest. Taliū utraq; BK & KH erunt part. 2795 . & quoniam angulus inclinationis ABB , ostensus est part. VI . scrup. XV . qualiū sunt $cccLX$. quatuor recti. Trianguli igitur rectanguli BKL , datorū angulorū datur basis KL , earūdem partiū 304 . & perpendicularis $BL, 2778$, igitur & reliqua $AL, 7186$. Sed & LM , æqualis ipsi $HK, 2795$. Trianguli igitur ALM angulo & recto cum duobus datis lateribus AL, LM , habebimus subtensam $AM, part. 7710$. & angulum LAM part. XXI . scrup. XVI . & ipse est prosthaphæresis numerata. Similiter trianguli AMH duobus lateribus datis AM , & MH , æquali KL , rectum in angulum comprehendentibus, constat MAH angulus part. II . scrup. XVI . latitudinis quæsitæ. Quod exquiri libeat, quantū ueræ & apparenti prosthaphæresi debeatur, sumpto dimetiente parallelogrammi LK , qui ex lateribus nobis colligitur part. 2811 . & $AL, part. 7186$, quæ exhibebunt angulū LAK , part. XXI . scrup. $XXIII$. prosthaphæresis apparentis, qui excedit prius numeratum in scrup. ferè VII . quæ erant demonstranda.

De secundo in latitudinem transitu Veneris & Mercurij secundum obliquitatem suorum orbium in apogæo & perigæo. Cap. VI.

HÆc de transitu latitudinis horum siderum, qui circa medias longitudes suorum orbium contingit, quasq; latitudines, declinationes uocari diximus. Nunc de ijs dicendū est, quæ accidunt circa perigæa & apogæa, quibus ille tertius deuiationis excursus cōmiscetur. Non ut in tribus superioribus, sed qui ratione facilius discerni separariq; possit, ut sequitur. Obseruauit enim Ptolemæus latitudes has, tunc maximas apparere, quando stellæ fuerint in rectis lineis orbem contingentibus à centro terræ, quod accidit
in maximis